



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXXIV. Jonas Propheta in mare demersus, insignis typus erat Christi patientis & crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXXIV.

Jonas Propheta in mare demersus, insignis typus Christi patientis & crucifixi.

Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo. Jonæ I. 15.

I.

Cum Ninivitarum cum Rege suo Sardanapalo in plura se projecissent scelera, ac Veneri & ventri se totos dedissent, misit DEUS ad illos Jonam Prophetam, qui contra illorum delicta detonaret, ac ultimum, nisi poenitentiam agerent, minitaretur excidium. Jonas, aut quia Regis potentiam & civitatis magnificentiam, aut hostilitatem in Hebraeos, qualis ipse erat, extimuit; vel quia præsumebat DEUM infinitè bonum ad poenitentiam Ninivitarum facile placandum, atque sic se tanquam falsum Prophetam ab omnibus illudendum, contra expressum Dei mandatum se æquori Mediterraneo commisit, ut felici vento à portu Joppensi in Tharsis transmitteret: *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini. Jonæ I. 3.*

Verùm alia sunt hominum, alia Dei judicia, qui Jonam à tergo secutus, mox ingentem in mari excitavit procellam ac tempestatem; unde nautæ ut maris periti, quia bene observarant hanc repentinam tempestatem non esse naturalem, sed à DEO immissam, fuerunt coacti sortem inter se mittere, & quisnam reus inveniretur, in iratum pelagus præcipitaretur: *Et cecidit fors super Jonam, qui mox se paratum exhibuit: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: Quem cum viri non reluctarent in mare præcipitem agerent, extemplò omnis cessavit tempestas: Et stetit mare à fervore suo. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat Jonas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.* *Jonæ 2. 1.*

2. Quod per dictum Jonam mitissimus Redemptor noster fuerit præsignatus, ipse dignatus est nobis exponere, cum enim Pharisei ab eo signum quærerent: *Magister, volumus à te signum videre, respondit illis: Matth. 12. 39.*

Genera-

Generatio mala & adultera signum quarit: Et signum non dabitur ei, nisi signum Jona Propheta, Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: Sic erit Filius hominis in corde terra.

Jonas à DEO ad Assyrios ac Gentiles missus est, ut eos per prædicationem suam ad DEUM verum atque ad seriam converteret pœnitentiam: Surge, & vade in Niniven, civitatem grandem, & prædica in ea quia ascendit malicia ejus coram me. Christus à DEO Patre missus est, ut toti terrarum orbi prædicaret pœnitentiam & remissionem peccatorum, unde primam suam concionem inchoavit à pœnitentia: Exinde

Jonæ 1. 2. *Matth. 4. 17. cepit Jesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum celorum.*

Jonas ultrò ac voluntariè se obtulit, ut mitteretur in turbulentum mare, ut sic alios, qui in navi erant, salvaret: Tollite me, & mittite in mare. Christus ultrò & voluntariè se obtulit, ut in turbulentissimum passionis mare projiceretur, ut peccatores liberaret ab interitu: Oblatus est, quia ipse voluit.

Isa. 53. 7.

3. Jonas secundùm nomen suum idem significat quàm columba, columba autem gemit; & est Symbolum meditantis ac pœnitentis animæ: Meditabor ut columba. Christus ingemuit, ac amarè flevit, ubi civitatem Hierosolymam, in qua erat passurus, de longè aspexit: Videns civitatem, flevit super illam.

Isa. 38. 14. *Luc. 19. 41.*

Jonas de navi in mare projectus non diu natavit in aquis, sed mox ab immani ceto exceptus, absorptus & in profundum maris deportatus est: Et projecisti me in profundum in corde maris. Christus de se ipso apud Psalterem ait: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Et sicut ille, qui in irato freto naufragium patitur, deligno aut tabula sibi sollicitè circumspicit, quo mediante vitam servet, & ad opertum deferatur littus: Sic Christus Dominus in mare passionis projectus & naufragus sibi de ligno crucis providit, cum quo tamen naufragium non evasit, sed veniens in altitudinem maris & Calvariæ rupem, tempestas demersit eum: Et tempestas demersit me.

Jonæ 2. 4. *Psal. 68. 3.*

4. De Jona narrant insuper Sacræ Paginæ, quòd, cùm post tri-duum è ventre ceti, quasi redivivus, Ninivitis pœnitentiam prædicaret, absque ulla cunctatione Rex Sardanapalus de solio suo descenderit, & sacco indutus publicam ac seriam pœnitentiam egerit, quem mox omnis populus, Regis exemplo animatus, secutus est: Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere &c.

Jonæ 3. 6.

Cæterùm mirantur hic sacri Interpretes, quare Jonas spatio unius diei plures per concionem suam converterit animas quàm cæteri Propheta-

phetarum per plures annos? R. Hugo Card. Quia Jonas Dominica passionis sacramentum præsertit: Cum enim ex immani illo pisce in terram aridam seminudus, pallidus, ac tremens præ frigore fuisset ejectus, à DEO secundò nunc monitus rectà Ninivem civitatem petiit, & valido clamore civibus aut pœnitendum, aut ardens intinavit: *Adhuc 40 dies, & Ninive subvertetur.* Ad cujus Prophetæ tam lamentabilem aspectum (quia expansis brachiis Christum crucifixum repræsentabat) Rex & cives conterriti, in jejunio, cilicio & cinere pœnitentiam egerunt; proinde eis DEUS benignè pepercit: *Et misertus est Deus super malitiam.* Jonæ 3. 10.

Ah quoties, anima peccatrix! te monet crucifixus Salvator tuus ad seriam vitæ emendationem? Toties videlicet, quoties illum in cruce pendentem aspicias, ac contemplaris, ibi, ibi in utramque tibi aurem lamentabili voce dicit: *En homo, qua pro te patior tormenta Redemptor: Et potes Authoris non meminisse tui?* De Jona dicit S. Hieronymus: *Jonas columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat: Et sub nomine Ninive salutem Gentibus nuntiat.* Ecce in cruce plus quàm Jonas, qui vocat te, & expansis manibus expectat te: Et tu misera! cunctas ejus admonitiones & increpationes surdis pertransis auribus? Heu quid erit aliquando in morte? Timeo, ah valde timeo, ne tunc audire debeas illud fatale: *Vocavi, & renuisti: ex-tendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti: Ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo.* S. Hieron. ep. ad Paulinum. Prov. 1. 24.

5. Viri illi, qui cum Jona in eadem navi in tanta, ac tam insolita vehebantur tempestate, ubi tot viderunt mirabilia ac stupenda, licet fuerint Gentiles ac idololatræ, DEUM tamen Hebræorum, relictis idolis suis, tanquam verum DEUM non obscure agnoverunt, & ad illius fidem, timorem ac venerationem conversi sunt: *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt hostias Domino, & roverunt vota.* Ab umbra ad veritatem: Postquam Christus Dominus in mare passionis projectus inter tot admiranda prodigia (quia tenebræ factæ sunt super universam terram, terra mota est, petræ scissæ sunt super &c.) cum clamore valido expiravit, & Gentiles & Hebræi adstantes magno numero ad DEUM verum & unicum Filium ejus JESUM Christum & hunc crucifixum conversi sunt, quod satis luculenter insinuavit S. Lucas: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, qua fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Et quando tu, anime mi, qui hæc legis, ad Dominum ac DEUM tuum seridè ac constanter reverteris? Fatere culpam tuam, & percutite cum turba ista pectus tuam, Luc. 23. 48.

Ginter Unus pro omnibus.

R.


tuum,

tuum, cum crucifixum Amorem tuum intueris, dicens cum devotissimo Kempensi: *Domine JESU! da mihi hodie bene incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.* Ubi optimè observat S. Carolus Borromeus S. R. E. Cardinalis: *Qui vult, inquit, in virtute proficere, debet quotidie incipere.*

6. Ubi Christus vita nostra in cruce expiravit, observat S. Matthæus, quòd post illius obitum cum Christo crucifixo, & resurgente multa Sanctorum corpora de sepulchris suis resurrexerint: *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Ecce virtutem passionis Christi. Inter quos resurgentes Patres etiam fuit S. Jonas, qui præ aliis Prophetis erat aptissimus testis passionis & resurrectionis pietissimi Salvatoris nostri, dum post triduum è ventre ceti, quasi de sepulchro suo, prædiens redivivus apparuit; proinde non immeritò Cornelius à Lapide hunc Jonam cum Christo resurgentem, ita ad incredulos Judæos loquentem introducit: *Ego sum Jonas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum à D. E. O. ut idipsum jam peractum esse tester.* Testor itaque hunc esse Christum à me præannuntiatum, eumque verè tertio die à morte suscitatum esse, sicut ego tertio die à ventre ceti suscitatus sum, ut hanc ejus suscitationem præfigurarem &c. Finio hanc considerationem. Viri isti, qui cum Jona eodem vehebantur navigio, multum pietati Jonæ erant obligati, dum pro salute ipsorum se liberè ac generosè obtulit ad mortem: *Tollite me.* Sta hic, & considera, anime mi, quantum obligatus sis Christo JESU pro te crucifixo &c.

Matth. 27. 52

Cornel. in Jonam. 2. 11.



CON-